

D. T. O. M.
MANUDUCTIONIS APHO-
RISTICÆ

AD DISCURSUM ARTIUM
ET DISCIPLINARUM
METHODICUM

SECTIO SECUNDA

in qua continetur

GRAMMATICA

ad disputandum
proposita

In Academia Viadrina

PRÆSIDE

M. THEODORO EBERTO

S. S. HEBRÆÆ LINGVÆ PROFESS.

& p. t. Ordinis Philosoph.

Decano

Respondente

Joanne Franzio

Wolâ-Silesio.

Ad diem 18. Decembris

ANNO


Æræ Christianæ

M. DC. XIX.

Literis Viduæ Voltzianæ exscripta *cl. XXVIII. 28.*
per Michaëlem Kochen.

Coll. diss. A
28, 28

Sächs.
Landes-
Bibl.



PROOEMIUM

ΣΤΜΦΤΕΣ

DE GRAMMATICA.

Prima literatorum hominum inter omnes disciplinas videtur esse cura, ut alij nobis mentem suam & nos alijs vicissim nostram exponamus. Ut enim omne quod ratione mens humana potest consequi, vel voce, vel scripto manifestat oratio: ita singula singularum nationum lingue sunt totidem orationis formæ ac velut humana quedam rationis tradendæ & percipiendæ instrumenta. Hæ autem formæ, hæc instrumenta sunt quasi τὰ τῶν λόγων ῥεύματα rationis explicationes & defluxus, ut eadem definit Democritus: nec alio medio comparari possunt quàm inquisitione linguarum, quæ vera sunt media, quibus inter se homines sua sensa auribus audienda, oculis legenda communicant. Et licet in universum LXXII. numerari solent lingue, si Patrum respiciamus Φιλοσοφήματα: tres tamen crucis etiam CHRISTI titulo nobilitatæ commendantur principes; Hebræa omnium sanctissima, Græca omnium ditissima, Latina omnium patentissima, quæ sunt t. Scaligero quasi matrices, ex quibus multæ dialecti tanquàm propagines deductæ sunt. Nos ut singulas veneramus & excolimus unice: ita in manuductione aphoristica Professionis nostræ ratione Eam duntaxat delineabimus, cujus primarius scopus est, ut Vetus testamentum tanquam fontem unicum perfectiùs intelligamus & ad eundem in versionum multitudine adversarijs contradicentibus tanquàm ad cynosuram perpetuam recurramus, verumq; intellectum verborum

Democritus refert Bibliand. de opt. gen. expl. hebr. p. 850

Augustin. li. 16. de ci. 9.

DEIC. 3. Epiphanius contra Sethian.

Arnob. in Psal. 104.

Scaliger in diatriba de Euphororum

linguis.

August. l. 2. de doctrin.

Christ. c. 11.

Hilar. in Ps. 118. Hieron.

in epistol. ad D. xxi. as.

Suetonius
lib. 5. de Vit.
Caesar.

Heinsius in
Vit. Scali-
geri.

David. Psal.
121. 6. 7.

rum & ipsam Hebraeae phraseos emphasin apprehen-
damus. Hujus ignorantio ignominiosa magis Theologo, quã
Latinae linguae neglectio fuit Principi, quem Claudius Caesar,
quod Latine nesciret albo judicum erasisse & peregrinatum
misisse narrat Suetonius. Hujus ignorantio probrosa magis est
Theologo, quã turpe olim doctis fuisse legimus, qui cum in-
voculas aliquot Gracas, apud M. Tullium, Plinium, ceterosq;
autores incidissent, ibi tanquam in salebra haeserunt & tri-
tum illud dictitarunt, Gracum est, non legitur. Hodie
enim similiter Theologo turpe, imò turpissimum foret, si quan-
do dictum aliquod in scriptis analyticis aut exegeticis, ut sit,
allegatum offenderet, illudq; necessario diceret: Hebraum
est, non legitur. Etsi vero in ea addiscenda non tantam no-
bis ingenij felicitatem indulserit divina benignitas, ut eam
menstruo spatio addiscere possimus, quod de illustri Jose-
pho Scaligero refertur, quasi singulis spatijs menstruis di-
dicerit singulas linguas, ita quidem, ut easdem ex parte intel-
lexerit: operas tamen nostras ita agitabimus, ut sanctae illi-
us linguae splendor non rubigine inficiatur sed exercendo ita
assiduo accubuo conteratur, quo argentum Davidis conse-
quamur sanctissimum: In sermone casto oraculorum coe-
lestium igne examinatum: In sermone mundo eloquiorum
divinor. luce illuminatum: In sermone puro promissionum
sacrarum flamma expurgatum.

Ευπόλεμος ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰσραὴλ βασιλέων ἱερῶν
Φησὶ πρῶτον σοφὸν γέινθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον
τοῖς Ἰσραηλίοις παραδόναι. Eupolemius in libro de Ju-
daeae regibus, dicit Mosēn primum fuisse sapientem &
Grammaticam primum tradidisse Judaeis.

Clem. Alexandr. lib. 1. Ἰσραηλ. v. 148. in exempl.
Græco.

APHO-

APHORISMI.

AD scopum sanctæ Hebrææ lingvæ primarium adsequendum, nempe ad intellectum Veteris Testamenti tria media requiruntur: Grammaticæ cognitio, peritia significationum, & harum praxis.

2. Ex quibus Grammatica constitui potest vel generalis, vel specialis: ita ut in generali ea tractentur, quæ continent præcepta & exempla communia: in speciali verò ea, quæ ostendunt usum generalium præceptorum, eaq; ad varias materias sacras applicant.

3. *Generalis* autem illa, duo videtur continere: vel ea, quæ ad præceptorum cognitionem pertinent; vel ea, quæ ad exemplorum significationem referuntur: ex illis deducitur *Grammatologia*: ex his *Lexicologia*.

4. Nos in aphoristica manuductione omitemus hoc tempore *Lexicologiam*, & cui maximè inservit, *praxin*: nec non primum duntaxat medium delineabimus; ipsam nempe *Grammatologiam*, cujus finis est voces formare: quod, dū fit vel voces simplices agnoscendo; vel agnitas cōjūgēdo vel cōjūctas distinguēdo: ideò tres ejus erūt partes, *Etymologia*, *Syntaxis*, *Prosodia*.

5. *ETIMOLOGIA* in consideratione vocis simplicis occupata, perpendit vel *materiam*, ex qua vox constat; vel *formam*, quâ vox constat.

6. *Materia* vocis Hebrææ est vel *simplex* ut elementorum: vel *composita* ut syllabarum.

7. Elementa Hebraica duo sunt literæ & puncta.

8. *Literæ* omnes sunt consonantes: nec in se disjunctim consideratae habent sonum, sed punctis sive

Cap. I. de
materia simplici
vocis
Hebrææ, videlicet de
literis & punctis
vocalibus
& non vocalibus.

Subintellectis, sive expresse suppositis exprimuntur.

9. Numerantur viginti duæ:

אבגדהוזחטיכלמנסעפצקרשה

in quibus addiscendis quinque solent considerare Grammaticorum libri, rationem numerorum, nomina, figuram, potestatem & distinctionem.

10. Numeri isto ordine positi in Psalmis aliquot, ut XXV, XXXIII, CI, CXII, CXIX, CXLV, & in cap. I. Thren. Jer. reperiuntur: nec non rationibus mysticis approbantur ab Hieronymo in *Galat.* Epiphanio in *lib. de mensur. & ponderibus.* Damasc. *Lib. IV. Orthodoxæ fidei* c. 18.

11. Nomina sunt ipsæ singularum literarum appellationes: quæ à priscis his elementis impositæ & ad distinctionem reliquarum gentium, sacris interpretationum connexionibus adornatæ, ut videre est apud Eusebium *lib. 10. περὶ πνεύματων.* & Hieronymum *Ep. 155. ad Paul. Urbicam.*

12. Potestates literarum ex pronuntiatione, sono, & primis ipsarum apicibus potissimum cognoscuntur: sic quia literæ *Bheth* primus apex est *Bb*: igitur ita etiam pronuntiatum & sic in reliquis.

13. Figure sunt literarum Schemata & descriptiones, seu ut loquitur *Dionys. Halycarnasæ* sunt *Τόποι.* *lib. Περὶ Δημοσθ. δεινότη.*

14. Distinctiones literarum dependent ex affectionibus à nob. jam propositis, nempe ex numero, nominibus, potestatibus & figuris, circa quas variæ distinctiones hinc inde observantur.

15. Ex numero enim literarum ordinant notas numerorum: quod cum Hebræis Græci habent commune:

ut

ut ex antiquioribus recenset & peculiari tabella describit Drusius in *Alphabet. Hebr. p. 21.*

16. Ex nominibus literæ distinguuntur, in *σημαντικαῖς* significantes: & *ἀσημαντικαῖς* nihil significantes.

17. Ex figuris distinctiones oriuntur vel in *uniformes* & *biformes*: vel in *cognatas* & *non cognatas*.

18. Ex potestatibus deniq; distinguuntur à sono in *similes* & *dissimiles*: ab instrumentis in *Pneumaticas* & *Organicas*.

19. Et sic de primis elementis; sequuntur secunda nempe PUNCTA: quæ sunt vel *ἔμφωνα* vocalia, vel *ἀμφωνα* non vocalia.

20. Puncta *ἔμφωνα* uno nomine appellantur VOCALLES, quæ notæ sunt vocis humanæ simplicissimæ, animantes quodammodo versuuna corpora, è consonis constituta: ex R. Simeone filio Jobâi in *Zohar super cant. canticorum*. quem sequitur Archangelus Minorita in *comm. Cabalist.*

21. Vocales autem sunt vel dominantes vel ministrantes.

22. *Dominantes* sunt: quæ semper consonas movent, & cum una pluribusve statam syllabam constituunt.

23. *Dominantes* vel sunt magnæ vel sunt parvæ.

24. *Magnæ* aliàs longæ vocantur, quia literis substratæ, solæ absolvunt suam syllabam, neq; trahunt ad se sequentem literam, ut *ⴗ Cametz*, *ⴗ Zere* ᵛ. *Chirek* magnum ᵛ *Cholem*, ᵛ *Schureh*.

25. *Parvæ* vocantur etiam breves, eò quòd ipsæ per se solæ syllabam non absolvant; sed ad se trahant sequentem: ut *- Patach*, ᵛ *Segol*, ᵛ *Chirek* parvum, *ⴗ Comets*, ᵛ *Kybbutz*.

26. *Distin-*

26. *Distinguuntur* vocales, ut consonantes, consideratione vel nominum, vel figurarum, vel potestatum.

27. *Ex nominibus* distinguuntur in eas, quæ ab exteriori rei similitudine deductæ: ut *Segol*: vel quæ ab ipso pronunciandi sono; ut *reliqua vocales omnes*.

28. *Ex figuris* distinguuntur à forma in eas quæ constant vel *lineâ*, integrâ - incisâ τ / vel *puncto*, uno · duobus ·· tribus :: vel *linea & puncto*, ut τ : *A situ* verò præter eas, quæ duobus aut tribus punctis formantur, vocales uno puncto constantes adhærescunt, vel *imæ*, vel *summæ*, vel *mediæ* consonanti.

29. *Ex potestatibus* deniq; distinguuntur, in quinque sonos præcipuos & naturales; ita ut nonnullæ vocales habeant sonum A, nonnullæ E. I. O. u: nisi quod *durius* longæ, *mollius* breves pronuncientur.

30. Sic de vocalibus dominantibus: sequuntur *ministrantes*, quas improprie ita dictas vocales *Buxtorfius* *noſter*; semipuncta *aliij* vocant: & sunt *quatuor Scheva*: quorum primum vocari potest *simplex*, reliqua *dupliscia*.

31. *Simplex* est nota constans duobus punctis, quorum alterum alteri perpendiculariter oppositum est hoc modo (:)

32. *Simplex* iterum vel est *mobile* cum legitur; vel *immobile*, cum quiescit.

33. *Mobile* vel est in principio dictionis, ut דְּבַר־יְיָ *Defarim*, vel in medio sub litera dageffata שְׂכִילָה *Schicelâb*: post vocalem magnam פִּינְחָס *Pinechas*: in cōcursu duorum *schevaim* מֵרְדֵּכַי *Mordechai*.

34. *Immobile* iterum vel in principio dictionis, si literæ sint connexiles בְּרֵשִׁית *Breschith*: in medio, si antecedit vocalis parva מַלְּכֻת *malcuth*: in fine semper

per

per, sive *unum* ibi sit ut מֶלֶךְ *Melech*; sive *duo* concurrant ut יֵשׁוּב *Ieschb*.

35. *Duplicia* aliàs composita dicuntur, eò quòd ex *scheva* simplici, & vocali quadam regia componantur, ita nempe ut *scheva* cum vocali coalescat in unum, legaturq; ut vocalis regia, celerrimâ pronunciatione.

36. Numerantur autem *tria*, cum scilicet *scheva* componitur, vel cum *Patach*, vel cum *Segol*, vel cum *Cometz*.

37. Si cum *Patach* componitur, oritur *Hatephpatah*: efferturq; ut a brevissimum & tali constat figura.

37. Si cum *Segol* componitur, vocatur *Hateph Segol*: efferturq; ut e brevissimum & illâ constat figurâ.

39. Si cum *Cometz* componitur vocatur *Hateph Cometz*, efferturq; ut o brevissimum & ista constat figurâ.

40. Et sic de punctis vocalibus: sequuntur אָ פּוֹרְוֵע seu *non vocalia* aut vocalitate carentia; aliàs *muta* dicta eò quòd non tam sonum emittant, quàm quod literarum pronunciationi inserviant.

41. Sunt autem situs ratione duùm generum, vel quòd ventri elementorum imprimantur; unde *mediana*: vel quòd capiti literæ *Schin* adijciantur; unde *summana*.

42. *Mediana* puncta sunt quæ literas vel adspiratas intendunt, ut *Dages*; vel quiescentes extendunt: ut *Mappik*.

43. *Dagesch* autem intendit modò leniter indurando, in literis בְּנִרְכַּפֵּת unde *Dages lene*: modò fortiter geminando, in literis omnibus præter ך & quatuor gutturales, unde *Dages forte*. D 44. Map

44. *Mappik* majori quodam aspirationis nisu extendit pronunciationem ם ם literarum in fine positarum: estq; vel *apertum*, cum literæ ם expressè imprimitur ut ם ם: vel *opertum*, cum literis ם & ם non manifestè imprimitur, sed dissimulatur: ut ם ם? pro ם ם?

45. *Summana* literæ Alphabeti penultimæ ם in pronunciando inferviunt ponunturq; supra denticulum literæ vel sinistrum & *S* notat, ut *Smol*: vel dextrum & *SCH* notat, ut *Jamin*.

Cap. 2. De
materia cõ-
posita vocis
Hebrææ, nẽ-
pe de Sylla-
bæ

46. Hucusq; de elementis simplicibus absolutè: sequitur jam ut ea componantur, ijsq; compositis *Syllabæ* constituentur, adeoq; ipsa linguæ Sanctæ lectio instituat.

47. *Syllaba* autem est unius vel plurium literarum, cum aliqua vocali coitio & comprehensio: estq; vel perfecta vel imperfecta.

48. *Imperfecta* est, cujus vocalis est Scheva aut simplex aut compositum.

49. *Perfecta* est, cujus vocalis aut longa aut brevis: estq; vel pura vel mista.

50. *Pura* est, in qua longa aut brevis aliqua vocalis accentu notata & consonanti juncta absolvit syllabam.

51. *Mista* est, quæ ex duabus aut pluribus consonantibus intercedente uno atq; altero puncto componitur: estq; vel completè vel incompletè sonans.

52. *Completè sonans* syllaba est, in qua elementa apertè leguntur, uti scribuntur: estq; vel *Monophthongus* vel *Diphthongus*.

53. *Monophthongus* est, in qua sonus tantum unius vocalis auditur, licet consonantes duæ sint.

54. *Di:*

54. *Diphthongus est, quæ ex duobus Elementis sono inter se differentibus coalescit, & medium quendam sonum contemperat.*

55. *Incompletè sonans syllaba est, in qua elementa non leguntur, uti scribuntur; sed quiescit vel vocalis, vel consonans.*

56. *Cum quiescit vocalis, fit in syllabis è duabus consonantibus compositis, sub quarum ultima ponitur Scheva, sub prima vocalis parva, quæ trahit ad sese sequentem literam, & Scheva reddit ἀκίνητον.*

57. *Cum quiescit consonans, est in qua actu quidem scribuntur duæ consonantes; sed una tantummodo pronuntiatur: sive in qua una est ex literis םןןן, quas DD. communiter vocare solent quiescentes.*

58. *Et sic de Elementis & Syllabis, in quibus consistit vocis Hebrææ materia: sequitur forma seu vocis formatio: quam Varro lib. 7. de anal. facit primariam & secundariam: illam fontem sive Radicem; hanc Rivum vel propaginem adpellitat.*

Cap. 3. De
forma seu i-
psa voce He-
bræa, ejusq̄
affectionib9
& speciebus

59. *Primaria igitur vox erit, quam communiter Hebræi vocant Radicem, Græci primum Thema, quæ in nostra lingua tribus potissimum literis essentialibus constat, & à qua cæteræ voces, quarum thema investigatur, deducuntur.*

60. *Hujus vocis inveniendæ medium nobis supeditat examen literarum radicalium & servilium: de quo, ut & alijs medijs, ad investigationem radice necessarijs suo loco, nempe in speciali Grammatologia nostræ parte.*

61. *Secundaria vox est, quæ non à seipsa oritur; sed aliunde deducitur, & à prima ortum suum sortitur: in qua cōsiderantur in genere affectiones, in specie partes.*

26. *Affectioes* in genere tres consideranda veniunt: *Figura*, *Modus* & *Status*.

63. *Figura* est, qua vox dicitur esse *simplex*, quæ in voces alias dividi nequit: vel *composita*, quæ e contrario potest dividi in alias.

64. *Modus* est, quo voces derivatas esse judicamus vel *ex parte vocalium*, vel *ex parte consonantium*.

65. *Status* est, quo vox dicitur esse vel *absoluta*, vel *Constructiva*.

66. Cæterum partes Orationis vel *declinabiles*; quæ per numeros & genera declinantur: vel *indeclinabiles*; quæ nihil aliud sunt, quàm particulae.

67. Declinabiles sunt *Verbum* & *Nomen*.

Capit. 4. De
Verbo ejusq;
accidentibus
& speciebus.

68. **V E R B U M** est pars orationis prima, cum tempore & Persona declinabilis. Hujus considerantur *Affectioes* & *species*.

69. *Affectioes* verbi sunt sex: *Conjugatio*; *Diatthesis*, *Tempus*, *Numerus*, *Persona* & *Genus*: quæ sibi invicem subordinantur. Sicut enim cujuslibet ordinis *conjugatio*, quasi totum est, quæ continet *diatheses*: ita quælibet *diathesis tempora*; tempus autem *numeros*; numerus *personas*; persona deniq; *genera* secundum sexum distincta comprehendit.

70. *Conjugatio* igitur est accidens, quo unum idemq; verbum in varias formas & significationes deducitur, perque numeros, personas & genera inclinatur: Estq; pro varia Elementorum characteristicorum dispositione & significatione quadruplex, *Kal*, *Piel*, *Hiphil*, & *Hithpabel*: nominibus à primo & veteri paradigmate desumptis.

71. *Diatthesis* est accidens, quo forma cujuslibet conjugationis designatur vel *activa*, vel *passiva*: exce-

ptâ

ptà solà quartâ conjugatione, quæ unius duntaxat est diatheseos.

72. *Tempus* est, quod quantitatem & qualitatem diatheseos definit: nec Latinorum more tempora & modos disjungit, sed conjungit: & ab Hebræis *operatio* dicitur; quam communiter faciunt sextuplicem: unam *Præteriti*, alteram *Participij Præsentis*: tertiam *participij præteriti*: quartam *Infinitivi*: quintam *Imperativi*; sextam *Futuri*.

73. *Numerorum & Personarum* hic eadem est ratio, quæ apud Latinos. Sicut enim habent *numerum* singularem & pluralem: ita etiam tres *personas* recensent.

74. *Genus* hic non significationem verbi, ut apud Latinos; sed discretionem sexus notat, sicut in nomine: estq; vel Masculinum, vel Fæmininum, vel Comune.

75. Et sic de affectionibus verbi: *Species*, sequuntur rationem ordinum, qui verba faciunt vel perfecta, vel Imperfecta.

76. *Perfecta* sunt, quæ tres habent literas radicales, & per omnes conjugationes, & earum accidentia sine ulla vel quiete vel defectu servantur, ut דָּבַר .

77. *Imperfecta* sunt, quæ ternarium literarum radicalium numerum aut minuunt aut excedunt.

78. *Minuta* sunt vel simplicia, vel composita: illa vel quiescentia, vel defectiva.

79. *Quiesscentia* sunt, quorum litera aliqua inter conjugandum quiescit, h. e. scribitur quidem; sed tamen non movetur, vel exauditur satis inter legendum, tametsi alicubi ne scribitur quidem.

80. Alia autem quiescunt *in prima*, quorum prima vel Aleph, vel Jod, ut דָּבַר *Dixit*, & יָשָׁב *sedit*: alia *in*

D 3

secunda

secunda, quarum media est Vau vel Jod, ut קָוַם *surrexit*,
& וָיָן *intellexit*: alia *in tertia*, quorum ultima est vel A-
leph vel He, ut נָצַד *Invenit* & הָלַח *Revelavit*.

81. *Defectiva* vocamus, in quibus litera minuta nō
quiescit tantum, sed unā ex scriptione & pronunciatio-
ne excidit.

82. Ex his etiam alia deficiunt *in prima*, si in prima
Nun habeat, ut נָשַׁע *Edit*: alia *in secunda*, si media &
tertia similis, ut סָבַב *Circuivit*: alia *in tertia*, si Thau
& Nun in fine, ut שָׁבַן & קָרַת.

83. *Composita minuta* sunt, quæ non uno, sed diver-
fis modis sunt imperfecta: illorum enim imperfectio
latet vel in prima & tertia, vel in secunda & tertia lite-
rarum radicalium.

84. *Imperfecta in prima & tertia* iterum vel *simpli-*
citer ex defectu aut quiete seorsim imperfecta sunt:
vel *mixtim*, ex quiete simul & defectu.

85. Quæ *simpliciter* imperfecta sunt, vel *ex duplici*
defectu pendunt, ut יָצַח prima Jod, ultima Thau נָשַׁת
prima Nun, ultima Thau: & נָחַן prima & ultima
Nun. Vel *ex duplici quiete*, ut אָחַח prima Aleph, ultima
He: נָצַח prima Jod, ultima Aleph: יָחַח prima Jod,
ultima He.

86. Quæ *mixtim* imperfecta sunt, vel conficiuntur
ex defectu simul & quiete, unde נָחַח prima Nun, ultima
He, & נָשַׁח prima Nun ultima Aleph: vel *contra-*
rio ex quiete simul & defectu, ut אָחַח prima Aleph, ulti-
ma Nun: יָצַח prima Jod, ultima Nun: & אָחַח prima
Jod, ultima Thau.

87. *Imperfecta in secunda & tertia* radicalium con-
stituuntur vel *ex duplici defectu*, ut נָחַח & חָחַח media
& tertia aut Nun aut Thau: vel *ex duplici quiete*,
ut

ut רָאָה, הָיָה, חָיָה, ultima semper He: media verò
vel Aleph, vel Vau, vel Jod: vel *ex defectu simul & qui-*
ete, ut רוּן, מוּת, בּוּן, סוּת, medijs vel Vau, vel Jod,
tertijs autem vel Thau vel Nun.

88. Sic de minutis: Sequuntur *abundantia* verba,
quæ præter justum literarum radicalium numerum
(qui ternarius est) literam unam & aliquando etiam
alteram adsciscunt.

89. Exinde quæ unam adsciscunt sunt Verba *qua-*
drilitera: eaq; sunt aut Nativa, aut peregrina.

90. *Nativa* sunt, quæ maximè derivantur à quief-
centibus & defectivis: in quibus, ubi mediæ inscri-
bendum fuit Dages, inscribi autem non potuit, ibi ge-
minare radicales placuit; vel ut compensaretur Da-
ges, vel ut dictio efficeretur sonerior & elegantior: ut
גָּרַל à verbo defectivo גָּלַל: sic חָלַחל à verbo quief-
scente חוּל.

91. *Peregrina* sunt, quæ ad tres radicales unam ad-
sciscunt, vel *in principio*, ut רָטַפַּשׁ à טַפַּשׁ: vel *in medio*,
ut שַׁחַתָּה à שָׁחָה: vel *in fine*, ut כָּרַס à כָּרַס.

92. Quæ deniq; duas adsciscunt, sunt verba *quin-*
quelitera, quæ plerumq; à verbis trium literarum de-
ducuntur, repetitis tantū duabus: ijsq; vel prioribus, ut
יָפַיְפָה à יָפָה: vel posterioribus, ut חָמַרְמַר à חָמַר.

93. Hucusq; de prima orationis parte, nempe de
Verbo, sequitur *Nomen*, quod est vel *primarium*, vel
Vicarium: illud communiter *Nomen*, hoc *Pronomen* di-
citur.

Caput 5. De
Nimine &
reliquis par-
tibus orati-
onis.

94. *NOMEN* autem *Primarium*, ut verbum co-
gnoscutur per suas affectiones & species.

95. *Affectiones* sunt vel *primæ* vel *Ortæ*.

96. *Primæ*

96. *Prima* sunt Genus & Numerus : ex quibus *Genus* communiter dividitur in Masculinum & Fæmininum : *Numerus* in Singularem & Pluralem.

97. *Orta* affectio est *Declinatio*, quæ apud Hebræos non est diversa casuum terminatio : sed nihil aliud quàm Generis Masculini à Fæminino discretio : Singularis numeri in pluralem digressio ; & status absoluti à statu regiminis & affixivo distinctio.

98. *Species* Nomina faciunt vel *Adjectiva*, vel *substantiva*.

99. *Adjectiva* considerantur per tres gradus ; qui apud Hebræos non more Latinorum & Græcorum ab ultima vocis syllaba flectuntur : sed particulis quibusdam & circumlocutionibus exprimuntur.

100. *Comparativus* quidem particula ׀ִד exprimitur, dum ejus ultima litera perditur, & per Dages nomini illi, ad quod fit comparatio, impressum compensatur.

101. *Superlativus* verò exprimitur vel per geminationem ejusdem nominis positivi : vel per genitivum pluralem alterius nominativo additum : vel per litteram ך demonstrativam, vel per particulam ׀ִל præpositionis, aut ׀ִנִּד intensivis.

102. *Substantiva* postea sunt vel propria vel appellativa.

103. *Propria* sunt nomina singularia seu individua, ut ׀ִנִּד Gen. 2. 7. ׀ִנִּד Gen. 3. 20.

104. *Appellativa* iterum dividuntur vel ratione *Figuræ*, vel ratione *Formæ*.

105. *Ratione figuræ* alia sunt simplicia, ut בית צל : alia composita ut בית לחם ישראל.

106. *Ratione*

106. *Ratione Formæ* sunt alia verbalia, alia gentilia, alia numeralia.

107. *Verbalia* sunt ea, quæ ex ordinibus verborum derivantur. Sicut enim Verba alia sunt perfecta, alia imperfecta: alia nuda, alia servilibus vestita: alia huius, alia alterius conjugationis: ita etiam Nomina sunt multiformia, ex istis ordinibus varijs deducta.

108. Ex verbis enim perfectis, eorumq; conjugatione prima oriuntur variæ nominum formæ, quarum aliæ sunt oxytonæ, aliæ paroxytonæ.

109. Oxytonæ verò vel constant literis radicalibus nudis, vel sunt servili quadam vestitæ.

110. Quæ nudis literis radicalibus constant, incipiunt à vocalibus longis & desinunt ut plurimum in longas, aliquando in breves.

111. Postea quæ incipiunt a vocali longa prima, desinunt vel in eandem, ut בֶּשֶׂר *caro*: vel in secundam, ut אֶבֶל *luctus*: vel in tertiam, ut בְּחִיר *electus*: vel in quartam, ut גָּדוֹל *magnus*: vel in quintam, ut בְּחֹר *electus*.

112. Quæ incipiunt a vocali longa secunda, desinunt in quatuor longas, vel in primam, ut לֵב *cor*: vel in secundam etiam, ut טֵבֵת *mensis December*: vel in quartam, ut אֲזוּר *cingulum*: vel in quintam, ut אֲסוּר *vinculum*.

113. Quæ a vocali longa tertia incipiunt, unius tantum sunt formæ, quæ nempe desinit in vocalem longam quartam, ut כִּירָר *favilla*.

114. Quæ a quarta incipiunt, duarum sunt formarum: & desinunt vel in longam primam, ut אֲצוּר *thesaurus*: vel in secundam, ut שׁוּמָם *desolatum*.

115. Quæ a quinta incipiunt, unius duntaxat etiam
E formæ

formæ sunt: quæ nempe desinit in longam primam,
ut עֵינָב *organum*.

116. Sic de oxytonis nudis: sequuntur, quæ fervili
quadam litera vestitæ sunt: sicq; vel à principio vel à
fine.

117. A principio sæpiùs nomina formantur, cum
literæ אֵיתָן præmittuntur, ut מִשְׁכָּר *munus*, יֵצֶהָר *oleum*,
תָּדָהר *tada* נִפְתוֹר *lucta*.

118. A fine, adscitis literis vel Mem, unde סִלְעָם
bombyx: vel Nun, unde מִנְהָר *pretiosus fructus*.

119. Restant nomina paroxytona, cujus tres sunt
formæ, quæ in eo conveniunt, quod omnes in ultima
habeant segol: differunt verò, quod in prima habe-
ant vel Zere, ut סִפְרָר *liber*: vel cholem, unde קוֹרֵשׁ *san-*
ctitas: vel etiam segol, ut מֶלֶךְ *rex*.

120. Nunc esset agendum de formis, quæ oriun-
tur ex secunda, tertia, quarta conjugatione verbo-
rum perfectorum. Et consequenter de nominibus,
quæ oriuntur ex verbis minutis simplicibus, quiescen-
tibus aut defectivis, quæ ex verbis minutis composi-
tis, & quæ ex abundantibus. Sed hoc loco sufficiat di-
gito monstrare, quæ alibi, Deo dante, prolixius.

121. *Gentilia*, quæ gentem significant sunt vel *pro-*
pria, quæ secundum sexum distinguuntur, vel *impro-*
pria, quæ per Periphrasin efferi solent.

122. *Numeralia*, quæ numeros declarant & expri-
munt, sunt vel cardinalia vel ordinalia.

123. *Cardinalia* secundum tres series distinguuntur,
quarum *prima* ab uno ad decem, ita tamen ut Fœmini-
na habeant terminationem Masculinorum: masculi-
na verò à tribus usq; ad decem terminationem Fœmi-
norum

ninorum. *Secunda* à decem ad viginti, ita tamen, ut repetantur antecedentes numeri, ijsq; tantummodò denarius adjiciatur. *Tertia* à viginti ad centum, & millia: & omnes quoscunq; continet numeros sunt generis communis.

124. *Ordinalia* nomina non dividuntur in classes: sed unica tantum est series, quâ differunt à cardinalibus; à numero nempe primo usq; ad decimum: in reliquis utuntur Hebræi cardinalibus.

125. Et sic de Nomine: sequitur PRONOMEN quod vicem habet nominum, & dividitur in completum & incompletum: *illud* vel declinabile vel indeclinabile.

126. *Declinabile est*, quod numero & genere flectitur: estq; personæ vel primæ אני vel secundæ ut אתה vel tertiæ ut הוא : nec flectitur per tres status ut nomen: sed per sex casus Latinorum & Grecorum.

127. *Indeclinabile est*, quod non casibus aut numeris flectitur: sed vel uno, vel omninò nullo accidente variatur.

128. Pronomen *uno accidente* videlicet genere flexile, vel est simplex ut זה , vel compositum ut הזה .

129. Pronomen *nullo accidente* flexile, in numeris vel promiscuè sumitur, vel defectum patitur.

130. *Si promiscuè sumitur* vel est interrogativum ut מי : vel Relativum ut אשר : vel Demonstrativum ut הוא .

131. *Si defectum patitur, in numero fit vel singulari, ut* לֵן & לֵן vel plurali ut לֵן.

132. Restant *incompleta* Pronomina, quæ è completis derivantur & communi *affixorum* nomine communiter veniunt: suntq; vel antefixa vel suffixa.

133. *Antefixa* sunt, quæ verbis aut nominibus à principio adponuntur & numerantur duo וּ ex וּן, וּ verò ex וּן desuntum.

134. *Suffixa* distinguuntur pro varietate pronominum declinabiliũ & trium personarum; & sunt vel nominalia vel verbalia, prout nominibus vel verbis affiguntur, de quibus à Grammaticis prolixius.

135. Superest, absolutâ & secundâ orationis parte declinabili, tertia duntaxat, nempe *indeclinabilis* ab Hebræis DICTIO vocata, quæ omnes orationis *particulas consignificativas* complectitur, quæ à Latinis dicuntur *Adverbia, Prepositiones, Conjunctiones & Interjectiones*; de quibus peculiarem librum edidit J. Drusus, qui nuper admodum ad opuscula ejus Grammatica relatus.

Caput 6. De
Syntaxi.

136. Atq; sic delineavimus *primam* Grammaticæ nostræ partem de vocibus simplicibus: sequitur *secunda* de vocum constructione, quæ communi nomine SYNTAXIS vocatur.

137. Hæc est vel regularis vel irregularis: seu ut alij loquuntur, est vel analogâ, vel anomala.

138. *Regularis aut analogâ* est, quæ voces tam declinabiles, quàm indeclinabiles, inter se conjungit: ita tamen, ut per eam voces constructæ *vel* in unum simul sensum & unam vocem coalescant: *vel* in unum quidem sensum coalescant, in voces verò separatas disjungantur. Illam nonnulli vocant *conjunctam*, hanc *separatam*.

149. Con-

139. *Conjuncta* syntaxis in tribus consistit, in ante-
fixis, suffixis & allevatione punctorum.

140. *Antefixa* sunt literæ serviles consignificativæ
quæ à fronte connexæ novam voci significationem ad-
jiciunt & comprehenduntur his vocabulis מִשֶׁה וְכִלְבֵּי
יְהוָה: de quibus propediem plenam tractationem *pa-*
rentis mei p. m. non modò ex sacris; sed & Talmudicis
nec non Rabbīnicis operibus scriptam, utilitati publi-
cæ communicabo.

141. *Suffixa* sunt literæ serviles consignificativæ,
voci à tergo annexæ: quæ pronomina obliqui casus si-
gnificant & pro consideratione personarū, variæ sunt,
& annectuntur vel verbis, vel nominibus & nonnullis
particulis.

142. *Allevationes punctorum* observantur, cū pū-
cta mutantur, vel propter affixa, vel propter statum Re-
giminis, vel propter formationem numeri pluralis,
aut fœminini generis vel propter Vau conversivum.

143. Restat syntaxis *separata*, quæ cognoscitur ex a-
nalogia cæterarum linguarum: quam ferè per totam
syntaxin deducit *Joannes Avenarius*, cujus opus Gram-
maticum potissimum *Dn. Phil. Melanchthon* commen-
dat.

144. *Irregularis seu anomala* syntaxis est, cū in vo-
cibus orationis vel conjunctis vel separatis observa-
tur aut *Ellipsis* cū ad perfectum sermonem aliquid
deest: aut *Pleonasmus*, cū in sermone quippiam re-
dundat: aut *Enallage*, cū vocum accidentia permu-
tantur.

145. Ultima Grammatologiæ pars est **P R O S O D I A**, *Caput 7. De*
quæ convenientes singulis vocibus totiq; orationi to- *Profodia.*
nos & silentia docet *accentibus.*

146. Accentus sunt vel Rhetorici vel Grammatici.

147. Rhetorici aliàs Euphonicì aut purè tonici dicti nihil præstant aliud quàm euphoniàm vocum, quibus adhibentur, & tres requiruntur ut *Métheg*, *Mazzáb*, *Makkáph*.

148. Grammatici inserviūt vel etymologiæ vel syntaxi: unde dicuntur vel etymologici vel syntactici, quorum illos vulgus *ministros*, hos *Reges* adpellitavit.

149. Etymologici sunt, qui sonorum duntaxat spatia in singulis vocibus denotant, quibus adhibentur: & sunt septem; *Mercá*, *Munácb*, *Kadmá*, *Mabpác*, *Dargá*, *Jerach ben-jomó* & *Mercá cephulá*.

150. Syntactici sunt qui & sonorum æquè ac illi denotant spatia & intervalla quoq; silentij in oratione tota moderantur: suntq; novendecim & vel periodū, vel cola, vel commata, vel subdistinctiones notant.

151. Qui *periodum* notat, unicus tantummodò est & vocatur *silluk*: cui ferè adjicitur *Soph-pasuk* finis versus hac forma (!)

152. Qui *cola* seu valentiora comprehensionis mēbra distingvunt, sunt duo, ut *Athnácb* & *Segoltá*.

153. Qui *κόμματα*, *διασολαί* seu *incisa* distingvunt, sunt quinque; *Rebiáb*: *Zaképh-Katón*: *Zaképh-gadol*: *Telischá gedolá*: *Pazér* vel *Pazér gadol*.


154. Qui deniq; distingvunt *ὑποδιασολαί* *subdistinctiones* aut *semiincisa* sunt decem: *Karné pará*: *Tipchá* sive *Tarchá*: *Zarká*: *Géresch*: *Geraschím*: *Pesik*: *Thebir*: *Paschtá*: *Fethib*: *Schalscheleth* & *Thelischá Ketanná*.

155. Finita jam systematis Grammatici delineatione agendū esset de methodo *lexicologia* & de exemplis *praxios* tam *analytica* quam *synthetica*: ne verò nimium excrescant aphorismi, & istam & illa alteri labori & loco cum bono **DEO** destinabimus.

SYLLABUS AUTORUM, QVI
Grammaticam Hebræam
illustrarunt.

Abraham Balmensis.
Adamus Restaldus.
Albert. VVidmanstadius.
Angelus Caninius.
Ant. Rod. Cevallerius.
Barthol. Keckerman.
Barthol. Radtman.
Bened. Arias Montanus.
Bonav. Cornel. Bertramus.
Caspar VVaserus.
Christoph. Helvicus.
David Kyberus.
David VVolderus.
Elias Levita Germanus.
Elias Schadæus.
Francisc. Junius.
Fr. Raphelengius.
Fr. Stancarus.
Fr. Tissardus.
Fr. Vatablus.
Georgius Stampelius.
Georgius VVegenmaier.
Godescalcus Prætorius.
Guil. Coddæus.
Guil. Postellus.
Henricus Uranius.
Jacob. Ebertus.
Jacob. Stronica.
Jan. Densius.
Joach. Zehnerus.
Joan. Avenarius.
Botenstein.
Buxtorfius.
Campensis.
Clajus.
Cuno.

Joan. Forsterus.
Isaac Levit.
Massarius.
Meelfürer.
Mercerus.
Moltherus.
Piscator.
Quinquarboreus.
Reuchlinus.
Imman. Tremellius.
Isaac Gronbeccius.
Jul. Cunrad. Ottho.
Marcus Marinus.
Matth. Aurogallus.
Hafenreffer.
Mich. Neander.
Nicolaus Clenardus.
Osvvald. Schreckenfuchs.
Ottho Gualtperius.
Paulus Fagius.
Petrus Galatinus.
Petrus Gregor. Tolosan.
Petrus Martinus.
R. Aaron fil. Aser.
R. D. Kimhi.
R. Joanas.
R. Mosche.
Rob. Bellarminus.
Santes Pagninus.
Seb. August. Nouzenius.
Seb. Munsterus.
Theod. Bibliander.
Theod. Fabricius.
Thomas Blebelius.
Val. Schindlerus.
VVolfgang Capito.



Coll. diss. A. 28. mus. 28